

gratiæ colligimus non esse necessariam nec possibilem prædeterminationem physicam, quod longe diversum est; et consecutio illa habet maximum fundamentum, tum in natura liberi arbitrii, et repugnantia inter indifferentiam et prædeterminationem, et inter liberum usum et necessitatem antecedentem. Et ita hæc nostra consequentia habet magnum fundamentum in Patribus et in Conciliis, ut præter dicta pluribus in sequentibus ostenditur; illatio vero Pelagianorum ab omnibus Patribus impugnatur.

18. Dices: etiam Pelagius ex arbitrii libertate colligere volebat non dari auxilium efficax, quod etiam nos colligimus. Respondemus imprimis priorem partem non satis constare: nam Concilia Milevitanum, Arausicanum et Tridentinum sufficientem tradunt doctrinam contra Pelagium, et non definiunt aliquid de gratia efficaci, sed de necessitate gratiæ prævenientis, præmoventis, excitantis et adiuvantis. Et Coelestinus Papa, in Epistol. 1, a cap. 4 usque ad 12, doctrinam necessariam contra Pelagianos et Semipelagianos tradit, et in eis solum ostenditur dicta gratiæ necessitas; et in cap. 8 solum dicitur ita de divina gratia esse sentiendum, *ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius non dubitemus valere auxilium*. Et in cap. 12, concludit Deum esse auctorem honorum omnium operum, quia illa sua gratia prævenit, et illorum initium in nobis operatur, *agitque ut quod ipse vult nos velimus et agamus*. In quibus omnibus nihil de efficaci gratia sub propriis terminis tradit, quod sane fecisset si Pelagius eam suo argumento impugnasset. Sed esto pars illa vera sit, et in hoc etiam erraverit Pelagius, falsa profecto est altera pars, quia nos ex illo principio non impugnamus absolute gratiam efficacem, sed gratiam ex se prædeterminantem physice, ac subinde refellimus talem modum gratiæ efficacis de quo nec fuit controversia cum Pelagio, nec Augustinus unquam locutus est, ut infra ostendemus.

CAPUT XVIII

UTRUM CONCURSUS DEI SIMULTANEUS EX SE PRÆ-
DETERMINET VOLUNTATEM AD CONSENSUM.

1. *Duo modi prædeterminandi physice voluntatem.* — Duos modos prædeterminandi physice voluntatem supra distinximus: unus est prædeterminando prius natura in actu primo

voluntatem per aliquam entitatem ab ipsa et ab actu secundo illius distinctam, ut ipsa sic prædeterminata actum eliciat. Alter est immediate prædeterminando ipsam ad ipsum actum secundum, sine entitate prævia, sed immediate, per divinam voluntatem, ita efficiendo in voluntate et cum illa actum ipsius, ut in ipsamet efficientia humana voluntas a divina prædeterminetur. Priorem modum impugnavimus in præcedentibus capitibus: in hoc et sequentibus posteriorem expendemus; et prius de necessitate, postea de possibilitate hujus prædeterminationis dicemus. Duobus autem modis intelligi potest prædeterminatio hæc per influxum immediatum in ipsum actum secundum, scilicet quod ipse concursus Dei, ex se et quasi absolute spectatus, habeat hanc vim prædeterminandi voluntatem, vel saltem ut illam habeat per respectum ad voluntatem divinam a qua procedit. Et licet auctores ponentes prædeterminationem in ipso actu indistincte loquantur, nos, ut vis rationum magis appareat, de priori modo dicemus in hoc capite, et de altero in sequenti.

2. Quod ergo hæc prædeterminatio fiat per ipsam actionem consensus voluntatis, ut est a Deo, sentit imprimis F. Cumel in ultima hujus puncti examinatione, quam in lib. 1 opusculor. reliquit copiosam, in disput. 4, sect. 3, conclus. 4, ubi sic inquit: *Ila affirmatur a nobis efficacia divini auxilii esse ex Deo, non ex nostra cooperatione, ut non dicamus Deum prædeterminare nos ad extra se solo aliqua actione prius in nobis posita, seu aliqua actione prædeterminante prius in nobis recepta, in qua mere passive se habeat omnino liberum arbitrium; et infra addit rationem, quia alias voluntas non se libere determinaret*. Unde (inquit) *eadem determinatio conversionis est a Deo et ab homine, sed a Deo prius ordine naturæ, quia est prior in causando, et movendo liberum arbitrium hominis*, etc. Et ibidem negat esse ibi duas actiones, sed unam tantum Dei et hominis, quæ prius natura est a Deo. Et in conclusione 5 expressius dicit *eandem esse actionem qua voluntas se determinat ad conversionem, et convertitur, et eadem actione determinativa et determinante, quæ a libero arbitrio elicitur cum gratia Dei, Deus determinat idem arbitrium*. Et quod mirabilius est, statim subdit: *Neque hæc actio qua voluntas actualiter et formaliter determinatur et se determinat, est respectu ejus voluntatis effectus posterior natura quam sit effectus Dei, sed simul est effectus voluntatis humanæ, et ipsius Dei*. Idem

repetit disput. quinta, dum refert quintam sententiam dicens, *non esse putandum Deum ita se gerere, ut, nobis nihil agentibus, ipse producat suam actionem in nos, qua efficienter nos determinat, et jam priusquam, voluntate determinata, ipsa procedat ad opus, quia hoc manifestam dicit implicationem cum libertate*, et in discursu hujus sectionis, quæ prolixissima est, hoc sæpe inculcat.

3. Quia vero de nobis conqueritur quod ejus sententiam nostro modo, et non sicut ab eo traditur et explicatur, referimus (quod sane a nostra saltem intentione alienum est), non audemus hanc sententiam illi tribuere. Nam profecto eisdem locis multa docet, quæ aperte videntur contraria his quæ mox recitavimus. Dicit enim sæpe auxilium efficax dari voluntati, tanquam principium agendi consensum supernaturalem, et ad constituendum vel complendum illam in actu primo, ut det illi virtutem agendi in illo ordine. Ita habet in disput. 4, sect. 2, concl. 3, et concl. 5, § *Sed pro intelligentia*, et disput. 5, sect. 1, conclus. 3, per totam; maxime vero in repetitione ejusdem tertiæ conclusionis, § *Quo circa*, et § *Quod vero*, ex professo impugnat dicentes hoc auxilium in re non esse nisi ipamet actionem et operationem voluntatis, *quia licet actio voluntatis sit una et indivisibilis a Deo et ab ipsa, dicit tamen habitudinem ad illud auxilium Dei, a quo procedit, tanquam a suo principio*; ergo necesse est ut hic dicat auxilium efficax prius infundi a Deo solo sine concursu activo voluntatis, cujus oppositum dicit in prioribus locis; verum est in illis non loqui sub nomine auxilii efficaci, sed sub nomine determinationis.

4. Unde videtur sentire quod, licet auxilium efficax præinfundatur a solo Deo, illud non est determinatio formalis voluntatis, sed solum motio fortis et suavis, quæ in eodem temporis instanti cum voluntate efficit liberum consensum, quem dicit esse determinationem formalem, et ideo negat in prioribus locis voluntatem determinari a solo Deo, sed simul a seipsa, et ita videtur exponere seipsum infra sub lit. *Aliis argumentis*, § *Et confirmatur*. Sed hoc modo non explicatur punctum difficultatis, sed obvolvitur, non distinguendo determinationem in actu secundo a determinatione in actu primo. Nos enim non tribuimus huic auctori vel aliis omnibus, quod dicant actum ipsum secundum fieri a solo Deo, et quod per illum determinet formaliter voluntatem, sed referimus quod vere asserunt Deum solum in-

fundere voluntati auxilium per modum actus primi, ita efficax ut ex se habeat non posse separari ab actu secundo, et consequenter negare non posse quin istæ actus primus inhærens voluntati formaliter illam afficiat et determinet in actu primo ad talem actum secundum et exercitium ejus. Quod tandem fere eisdem verbis fatetur idem auctor in locis proximè citatis, § *Moveor etiam*, dicens: *Ad hoc quod voluntas exerceat opera supernaturalia, necesse est quod prius voluntas realiter determinetur quam operetur*; et iterum: *Ut voluntas operetur, necesse est ut realiter determinetur ad illam operationem per aliquid reale positivum, quidquid illud sit*, quod iterum repetit, soli Deo, ut auctori gratiæ, tribuens determinationem. Nihil ergo mirum est, si huic auctori unam et alteram opinionem tribuamus, cum in eo utramque legamus.

5. Et eodem fere modo tribuo sententiam hanc P. Cabreræ, quamvis tam multipliciter de hac prædeterminatione loquatur, ut vix possim de illius sententia definitum ferre iudicium. Sæpe enim defendit prædeterminationem hanc fieri per aliquid distinctum ab actu secundo, et prius natura illo, unde videtur ponere prædeterminationem in actu primo supra refutatam; et tamen disp. 2, § 11, n. 474, dicit quod determinatio Dei relinquit voluntatem determinatam in actu secundo, et indifferentem in actu primo, et quod voluntas præmota est adhuc indifferens in actu primo, licet sit determinata in actu secundo. Quod videtur repugnantiam involvere, si non intelligat prædeterminationem fieri per ipsum actum secundum, licet sub eo maneat voluntas cum actu primo, quod ad tuendam libertatem actus non sufficit, ut supra ostendi. Deinde, § 10, num. 413, dicit motionem prædeterminantem non distingui ab actione voluntatis, nisi formaliter, nec Deum concurrere immediate ad illam, nisi per præviam motionem. Item videtur hanc sententiam supponere in disputat. 6, dubio 8, quando dicit, num. 50, *quod Deus confert auxilium concomitans, non ut prodeamus in actum, sed ut adjuvet ad eliciendum actum in quem jam prodire cœperamus*. Nam his verbis insinuat prius nos incipere prodire in actum, propter auxilium efficax quod prius natura Deus præbet quam nos actum eliciamus; ergo sentit per illudmet auxilium incipere nos in actum prodire, quod intelligi non potest nisi auxilium sit ipse actus sub aliqua prævia ratione consideratus; unde in eadem disput. 6, num. 4, dicit auxi-

lium Dei simultaneum vocari coadjuvans, quia ipsam operationem inceptam per auxilium prædeterminans coadjuvat et consummat, concomitans vero quia concomitatur operationem ut inceptam per auxilium præveniens; nisi forte improprie loquatur, et intelligat auxilium prædeterminans inchoare operationem non formaliter, sed virtualiter, quia complet et determinat potentiam ad illam eliciendam. Nam proprie utendo terminis contradictionem involvit dicere nos incipere prodire in actum secundum, priusquam Deus, suo auxilio concomitante et adjuvante, nobiscum operationem inchoet. Nec etiam video quid sit prodire in actum, nisi elicere illum: unde incipere prodire in actum erit incipere elicere illum; at vero elicere et incipere elicere idem sunt, quia actio eliciendi momentanea est, et ita simul incipit et tota fit. Est ergo mihi intellectu difficilis illius auctoris mens, et sententia, quæ omnia non parum ipsiusmet doctrinæ obscuritatem et perplexitatem indicant.

6. Constantius videtur illam sententiam defendere Ledesma, nam toto art. 8 ex professo probat prædeterminationem non fieri a Deo in nobis sine cooperatione, et efficientia voluntatis nostræ, libere concurrentis, ut explicat in prima probatione tertiæ conclusionis. Et in secunda addit non esse necessarium ut hæc prædeterminatio fiat per aliquem actum distinctum ab eo quo prosequitur objectum, sed per eundem secundum rem, ratione formali distinctum, ut in articulo 7 late dixerat; et quod magis est, dicit in illa doctrina convenire discipulos D. Thomæ, et ipsum D. Thomam et Cajetanum pro illa citat, in dicto art. 7; et ideo, in art. 10, ad 7, dicit: *Quando est auxilium physice prædeterminans jam esse actum in suo principio*, alludens ad modum loquendi M. Cabreræ, prout verba in proprietate sonant. Et ideo ait Ledesma hoc auxilium non requiri ut principium operationis, neque ex parte potentiæ, sed ex parte operationis, ut artic. etiam 11 late prosequitur. Et nihilominus dicit, in dicta solutione ad 7, auxilium prædeterminans voluntatem esse necessarium tanquam antecedens ordine naturæ ipsam operationem, et ut voluntas exeat in actum. Quæ duo difficile conciliantur, nisi in ipsa operatione distinguatur inchoatio et consummatio, seu initium operationis, et ipsa operatio absolute sumpta, quod videtur efficaciter impugnari ratione supra facta, et aliis quæ in libro 3 fecimus, tractando de concursu prævio.

7. *Singularis quædam sententia refertur.* — *Defensor hujus prædeterminationis tria distinguit in Dei operatione circa actus voluntatis nostræ.* — Denique omittere non possum quin hic referam notandam sententiam alterius defensoris hujus prædeterminationis, qui prius tria distinguit in Dei operatione circa actus voluntatis nostræ. Primum vocat simplicem immutationem, qua voluntas constituitur in ultimo complemento per modum actus primi. Secundum est productio actionis voluntatis cum ipsa voluntate. Tertium est productio effectus. Primum ante omnia requirit ad auxilium efficax, et dicit fieri a solo Deo prius natura quam voluntas operetur, nam in aliis duobus, ut ait, non prius natura operatur Deus quam voluntas, non obstante subordinatione, quia hæc subsistere potest sine prioritate naturæ. In quo aperte tradit modum prædeterminationis in superioribus capitibus tractatum, satsique consequenter juxta illum loquitur. Statim vero addit obscurissimam distinctionem in qua videtur hanc posteriorem sententiam profiteri et difficillime explicare. Post prævium auxilium efficax, seu post illam quam vocat simplicem immutationem, distinguit in consensu voluntatis duplicem actionem, unam quæ identificatur cum consensu in ratione consensus, aliam quæ natura prævenit consensum, quam vocat iniciativam, in qua agitur voluntas, quam etiam dicit esse auxilium efficax prævium. Et hanc posteriorem actionem dicit etiam non esse liberam in illo priori, quamvis, antecedente nostra libera determinatione, actio quæ non erat in illo priori libera constituatur libera in ratione consensus nostri in alio posteriori naturæ.

8. *Refellitur dicta sententia.* — *Duo notanda.* — *Primum.* — *Aliud notandum, quod in supernaturali consensu duplicem ponit actionem voluntatis, unam iniciativam, aliam consummativam.* — In qua sententia antequam ulterius progrediamur, duo notanda sunt et cavenda. Primum est, quia ille auctor simul videtur ponere duo auxilia prævia physice prædeterminantia voluntatem, unum per simplicem immutationem Dei ante actionem voluntatis, aliud per actionem quamdam iniciativam consensus. Hoc autem nullo modo admittendum est, nam licet daremus aliquam prædeterminationem physicam, supervacaneum esset duplicem fingere; tum quia in eodem genere physico unum tantum auxilium efficax ad singulos actus cum aliquo fundamento requiri po-

test; tum etiam quia, cum hæc prædeterminatio dicatur supponere auxilium sufficiens, quocumque modo talis prædeterminatio cogitetur sufficienti auxilio pervenire, infallibiliter inducet consensum, alias non esset vera determinatio; ergo, esto sit necessaria, una sufficit. Declaratur denique ex re ipsa, quia si fingamus antecedere auxilium prædeterminans physice voluntatem in actu primo, et distinctum in re ipsa ab actu secundo, et ab omni actione humanæ voluntatis, per illud intelligitur voluntas perfecte completa in actu primo, et proxime expedita ad actum secundum; ergo jam non indiget alio auxilio prævio, sed tantum simultaneo concursu; ergo qui ponunt auxilium prædeterminans in actu primo, superflue fingunt aliud auxilium prædeterminans in ipso actu secundo, seu actione ejus; item quia illa actio, per habitudinem ad tale principium jam determinatum in actu primo, prodit cum sufficienti determinatione; imo, si verum fatendum sit, supposita tali determinatione, prodiret sine indifferentia et sine libertate; ergo non solum non indiget nova prædeterminatione, sed etiam est incapax illius. Sicut supra lib. 3, cap. 36, de agentibus naturalibus dicebamus non indigere prævio concursu propter prædeterminationem, quia cum de se sint determinata ad unum, et non habeant indifferentiam, non sunt capacia novæ determinationis. Secundo, est in illa sententia notandum quod in supernaturali consensu duplicem ponit actionem voluntatis, sive re, sive formaliter, sive ratione distinctas. Unam vocat iniciativam, et priorem quam sit ratio consensus, quia natura prævenit illum; aliam, quæ sit consummativa consensus; et primam dicit esse auxilium prævium efficax, non vero secundam; itemque priorem, ut sic, non esse liberam, constitui autem liberam in ratione consensus in altero posteriori naturæ. Hæc vero distinctio et quæ circa illam dicuntur rejicienda omnino sunt. Nam si per illam duplicem actionem ille auctor intelligat propriam actionem prædicamentalem, et terminus ejus, qui est consensus vel actus vitalis, prout est in re qualitas quæ ab aliis quibus vocatur grammaticalis actio, sic nec dicere debuit nec potuit priorem actionem iniciativam esse in illo priori non liberam, quia hoc multum repugnat libertati arbitrii; nam usus libertatis maxime pendet ab illo puncto, in quo voluntas incipit suam actionem elicere. Idem quia repugnat actionem, prius natura non libere elicitam, posterius natura constitui

liberam in eodem instanti; tum quia non possunt duo prædicata contradictoria de eodem verificari in eodem instanti temporis; tum etiam quia actio illa semper retinet eandem habitudinem ad suam potentiam, a qua habet quod libera vel necessaria sit; tum denique quia non potest actio illa denominari libera a consensu, qui est terminus ejus, quia potius consensus in tantum est liber, in quantum fit per actionem liberam, quia libertas exercetur in ipsa actuali efficientia per quam fit terminus. Si autem in consensu ipso præter terminum et qualitatem distinguatur duplex actio, quarum una sit non libera et altera libera, et falsum fundamentum supponit, et multum derogat libertati, ut facile ex dicendis patebit.

9. *Punctum difficultatis distincte explicatur.* — *Supponuntur quædam ut punctum difficultatis distincte explicetur.* — *In libero consensu voluntatis tantum illa duo reperiuntur, fieri, et factum esse.* — Igitur, ne in aliorum placitis referendis prolixiores simus (solum enim illa proponimus ut modus doctrinæ consideretur), illis prætermisissis, ut punctum difficultatis explicetur et intelligatur difficultatis ratio, suppono imprimis in ipso actu secundo seu consensu libero voluntatis tantum illa duo inesse et distingui posse, quæ paulo antea distinxi, scilicet *fieri, et factum esse*, seu actionem, et terminum seu qualitatem et dependentiam ejus; hæc enim omnia æquivalentia sunt. Et quidem illa duo in re ipsa aliquo modo distingui ex philosophia suppono, et nunc non controvertitur, nec ad præsentis controversias theologicas multum refert, sive quis opinetur illa duo in his actibus ratione tantum distingui, sive ex natura rei; nam licet hoc posterius verius sit, tamen etiam permissio illo primo, doctrina de auxilio efficaci non variatur. Dixi autem tantum illa duo inveniri in libero consensu, quia ad rem explicandam maxime refert quod in consensu ipso neque plures qualitates, neque plures actiones, neque aliquod aliud genus entitatis vel modi realis illius actus, in eo inesse fingatur. Hoc postremum per se notum videtur, quia discurrendo per prædicamenta facile potest talis cogitatio refutari, et in re nullum habet fundamentum. Primum etiam est satis notum, et ab omnibus traditum, quia unus consensus, si in prædicamento qualitatis est, ut supponitur, non est nisi una simplex qualitas, sicut est una simplex tendentia formalis in unum tantum objectum. Neque in libero consensu or-

dinis naturalis aliud invenitur, nec in supernaturali est aliqua ratio multiplicandi illas qualitates; imo hæc supernaturalia concipere et explicare debemus ad instar naturalium, servata differentia in dignitate, seu excellentia actus, quæ in una simplici qualitate cerni debet. Unde argumentari possumus, quia si essent duæ qualitates, vel utraque est ordinis naturalis, et sic ex utraque simul non fiet unus actus supernaturalis; vel una est naturalis et altera supernaturalis, et sic tota supernaturalitas est in una, et altera frustra fingitur; vel utraque est supernaturalis, et ita quælibet per se spectata est in suo genere perfecta, et sufficiens ad effectum formalem consentiendi, et tendendi complete in tale objectum; ergo una sufficit et alia frustra fingeretur. Quis enim unquam cogitavit voluntatem, verbi gratia, credendi, involvere duas qualitates? Et idem est de similibus actibus simplicibus. Ita enim consideramus consensum in unum simplex objectum; nam si involvat plura objecta, poterunt esse plures actus, ut est probabile de intentione finis, vel electione medii, etiamsi eodem tempore fiant, et de amore Dei, detestatione peccati, et similibus, et tunc erunt etiam plures consensus; unumquemque autem per se considerando, in illo tantum potest esse una qualitas, et ita nunc loquimur.

10. Unde facile concluditur secundum membrum de actione, quod in præsentem maxime est necessarium, quia si quod gratiæ auxilium datur in ipso actu secundo voluntatis, illud maxime in actione ipsa considerandum est; tum quia qualitas ipsa, quæ est terminus actionis, potius est effectus auxilii quam auxilium; tum etiam quia tale auxilium requiritur ad juvandum hominem ad agendum; homo autem primo et immediate efficit ipsam actionem; ergo in illa et ad illam debet maxime adjuvari. Hinc ergo aliqui ex modernis in hoc et præcedenti capite allegatis, ut declarent auxilium prædeterminans in ipsomet actu secundo, distinguunt in illo duas actiones, quarum altera sit auxilium prædeterminans, et altera sit actio consentiendi, et illam dicunt esse priorem naturæ, et a solo Deo, hanc vero esse a libero arbitrio in posteriori naturæ.

11. *In uno simplici consensu, non est nisi una actio simplex et indivisibilis.* — Contra hoc ergo pro certo statuimus, in uno simplici consensu non esse nisi unam actionem simplicem et indivisibilem. Et in hoc nobiscum sentiunt Cumel. et Alvarez, et interdum Ledes-

ma, nam alias varie loquitur. At hanc partem in lib. 1 et 3 tetigi, et ideo nunc illa breviter probatur, quia, ex parte termini, illa actio habet unitatem, nimirum unam qualitatem tanquam intrinsecum terminum per illam actionem productum, et unum objectum tanquam extrinsecum terminum, quem mediante ipsa qualitate respicit; et ex parte principiorum non multiplicatur; ergo est tantum una. Probatur minor, quia, licet ad illum actum effective concurrant Deus et voluntas, per suammet entitatem, vel etiam per habitum infusum aut aliam supernaturalem entitatem sibi inditam per modum principii et actus primi, nihilominus non prodeunt a singulis principii istis singulæ actiones, sed una indivisibilis ab omnibus; ergo etiam ex hac parte non multiplicantur. Probatur ultima propositio subsumpta, et primum de voluntate, quia voluntas nihil potest agere sine Deo, et in supernaturalibus operibus nihil potest agere sine physico influxu actuali adjuvantis gratiæ: ergo nulla actio ibi intercedere potest quæ sit a sola voluntate; est ergo una indivisibilis a Deo, et ab ipsa, et a principio gratiæ. Et hac ratione cum D. Thoma dixi, citatis locis, unam esse indivisibilem actionem a causa prima et secunda, quia nihil potest agere causa secunda sine immediato influxu causæ primæ; idem enim est cum proportione in præsentem.

12. *Probatur ex parte Dei non multiplicari actionem.* — Et hinc facile probatur ex parte Dei non multiplicari actionem tendentem ad talem consensum. Primo, quia illa unica actio, cum jam sit a Deo, sufficit, nam per illam fit totus terminus, et in illa intime consistit essentialis dependentia, vel causæ secundæ a prima, vel voluntatis a gratia, et a Deo ut auctore gratiæ in actibus supernaturalibus, ac denique in illamet salvatur excellentia et eminentia causæ primæ et gratiæ in suo genere, quia illa actio magis, ac principalius, essentialiusque est a Deo et gratia, quam a voluntate; ergo superflue fingeretur alia actio solius Dei, vel solius gratiæ. Præterquam quod multa sunt quæ repugnent: nam illa actio quæ esset a solo Deo in voluntate, non posset esse vitalis; ergo non esset actus secundus voluntatis, nec haberet pro immediato termino qualitatem illam actualem, quæ est consensus voluntatis, nam illa intrinsece est qualitas vitalis, et non nisi per actionem vitalem fit, saltem connaturaliter; quod nunc satis est, quia non sunt fingenda monstra, vel miracula peregrina

na in ordinario modo supernaturaliter operandi voluntatis; ergo si daretur talis actio Dei, non esset auxilium immediatum in ipso actu secundo, sed in aliam qualitatem, vel alium terminum, et ita esset auxilium prædeterminans in actu primo, non in secundo, quem nunc investigamus. Item, si aliqua ibi est actio solius Dei, erit natura prior quam actio voluntatis, nam ad hoc ponitur ut sit causa actionis voluntatis, et faciat illam facere. Quid ergo per illam fit? Non enim fieri potest immediate altera actio quæ fit a voluntate; tum quia ad actionem non est actio; tum etiam quia terminus actionis non est ab alio principio quam ipsa actio; illa autem secunda est ab alio principio, utique a voluntate. Neque etiam ipse consensus, ut est qualitas quædam, potest immediate per illam fieri; tum quia, ut ostensum est, non fit sine influxu voluntatis; tum etiam quia alias nihil novum voluntas ageret, sed actum a Deo iterum ageret, et quasi conservaret. Nam illa prima actio quæ a solo Deo esse dicitur, non potest esse partialis tantum; tum quia debet in suo ordine esse perfecta, et efficax, et a sufficienti potestate procedens; tum etiam quia alias non posset fieri etiam secundum ordinem naturæ sine consortio alterius partialis actionis, et ita non esset prævia nec prædeterminans; ergo produceret prius totum terminum, et sic voluntas non eliceret, sed quasi reproduceret, et conservaret consensum suum. Unde etiam sequeretur illam non libere, sed ex necessitate recipere, et habere talem consensum; non est ergo in actu consensus talis actio; est ergo tantum una.

13. *Corollaria ex præcedenti doctrina.* — *Corollarium primum.* — Ex his nonnulla infero ad veram resolutionem quæstionis necessaria. Primum est, actionem illam per quam liber consensus supernaturalis, et ut supernaturalis, fit, ita elici a voluntate per proximum principium gratiæ, illam adjuvans cum concursu Dei tanquam primæ causæ in illo ordine, ut tota a singulis illis principiiis, tam in suo esse quam in sua inchoatione vel qualicumque emanatione prodeat. Probatur, nam quod ab omnibus illis principiiis simul effective oriatur, certissimum est, a voluntate, propter vitalitatem actus, et maxime propter libertatem, ut definit Concilium Trident., sess. 6, cap. 5, et can. 4; a principio physico gratuito seu supernaturali, propter necessitatem gratiæ physice adjuvantis, de qua supra lib. 3 dictum est; a Deo, ut a prima causa, propter essentialem

dependentiam et subordinationem voluntatis creatæ ad divinam. Quod vero sit ab omnibus et singulis quoad totum suum esse, probatur, quia est indivisibilis actio, et ideo non potest pars ab uno principio fieri, et pars ab alio; ergo tota a singulis. Item quia ille actus totus est supernaturalis et gratiæ, et totus est vitalis et liber, et totus est creatus, quæ rationes ita sunt inter se connexæ, ut postulent concursum omnium illarum causarum; nihil ergo est in illo actu quod fiat ab uno ex illis principiiis sine consortio aliorum. Unde tandem concluditur, quidquid in illa actione fit tanquam intrinseca inchoatio ejus, debere ab omnibus illis principiiis, et a singulis illorum fieri, quia inchoatio actionis non est aliquid ab ipsa actione distinctum, et quia ratio facta æque in tali inchoatione, qualiscumque cogitetur, procedit.

14. *Corollarium secundum.* — Secundo, hinc infertur actionem illam, qua fit consensus liber voluntatis, sub nulla ratione esse prius natura necessariam quam liberam, neque in illa aliquid considerari posse prius non libere factum, et postea libere. Probatur primo, quia illa actio, quatenus non libera consideratur, vel est a solo Deo, vel est etiam a voluntate. Prior consideratio est omnino falsa; tum quia ostensum est illam actionem non prius natura fieri a Deo quam a voluntate; tum etiam quia alias, si solus Deus semel illam infunderet, in illa recipienda voluntas non esset libera; at ex illa receptione, necessitate plus quam physica (ut sic dicam) sequeretur consensus voluntatis, sive formalis, sive etiam activus, seu actio ejus; ergo nullo modo talis consensus posset esse liber, ut a fortiori ostendi potest ex dictis cap. 14. Præterquam quod est contra rationem actus vitalis recipi prius natura quam eliciatur. Si autem actio in illo signo est a voluntate, non potest concipi ut non libera, vel certe nunquam est libera. Probatur primo, quia illa actio est omnino indivisibilis, tam in sua entitate, quam in modo quo fit, quia in momento elicitur; ergo et secundum rem, et secundum omnem modum concipiendi semel tantum a voluntate elicitur; ergo vel elicitur necessario, vel libere, et non potest secundum diversas rationes, aut in diversis naturæ instantibus, illis duobus modis elici. Secundo, istæ duæ conditiones, liberi et necessari, adeo sunt repugnantes, ut non possint simul inesse eidem actioni respectu ejusdem potentia, vel in eodem instanti naturæ, vel in eodem temporis instanti, quia involvunt